

DATO NUMERO ET EXPONENTE COM-
PLEXIONES INVENIRE.

Solutionis duo sunt modi, unus de omnibus Complexioni-
bus, alter de Comznationibus solùm: ille quidem est ge-
neralior, hic verò pauciora requirit data, nempe numerum
solùm & exponentem; cum ille etiam præsupponat inventas
complexiones antecedentes. Generaliorem modum nos de-
textimus, specialis est vulgatus. Solutio illius talis est: ad-
dantur complexiones exponentis antecedentis & dati de nu-
mero antecedenti, productum erunt complexiones quæsitæ;
v. g. esto numerus datus 4, exponens datus 3. addantur de nu-
mero antecedente 3. comznationes 3. & conzratio 1. (3. † 1.
f. 4.) productum 4. erit quæsitum. Sed cum prærequiran-
tur complexiones numeri antecedentis, construenda est tabula
N. in qua linea suprema à sinistrâ dextrorsum continet Nu-
meros, à 0 usque ad 12. utrimque inclusivè, satis enim esse duxi-
mus huc usque progredi, quam facile est continuare: linea ex-
trema sinistra à summo deorsum continet Exponentes à 0. ad 12.
linea infima à sinistra dextrorsum continet Complexiones simpli-
citer. Reliquæ inter has lineæ continent Complexiones dato
numero qui sibi in vertice directè respondet, & exponente qui è
regione sinistra. Ratio solutionis, & fundamentum Tabulæ pa-
tebit, si demonstraverimus, Complexiones dati numeri & expo-
nentis oriri ex summa complexionum de numero præcedenti ex-
ponentis & præcedentis & dati. Sit enim numerus datus 5, expo-
nens datus 3. Erit numerus antecedens 4. is habet conznationes
4, per Tabulam N. comznationes 6. Jam numerus 5. habet om-
nes conznationes quas præcedens (in toto enim & pars con-
tinetur) nempe 4. & præterea tot quot præcedens habet com-
znationes (nova enim res qua numerus 5. excedit 4. addita sin-
gulis comznationibus hujus, facit totidem novas conznationes
nempe 6. † 4. f. 19. E. Complexiones dati numeri &c. Q. E. D.

Majo-